



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ethices Christianae, Libri Tres

Daneau, Lambert

Genevæ, 1579

Cap. III. Præfationis Legis diuinæ explicatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41242

tit cum hoc loco, & cum Christi dicto Matt h
22 .v.38. Nam charitas hac Lege præcepta est
tum erga Deum ipsum, tum erga homines, &
vtraque ex fide non ficta, & bona conscientia
nascitur. Id quod explicare voluit Paulus. Quod
autem dicitur à Thoma eodem etiam pertinet.
Sumptum enim est dictum Thomæ ex I. ad Ti-
moth. I. v. 5. Vbi Legis finis describitur, quem
nemo consequetur, qui non & Deum dilexerit,
& Proximū. Quas esse duas summas huius Le-
gis Moralis partes diximus.



CAP. IIII.

Præfationis Legis diuinæ explicatio.

CONTINET hoc caput recitationem
primi capitis Legis, quod habet &
præfationem, & primum illius præ-
ceptum, sed & recitatæ explicationē.
Quod ad Legis verba pertinet, extāt Exodi 20.
& Deut. 5. quo vtroque in loco summo consen-
su priora illa duo verba omissa sunt, *Audi Israel.*
Sed illa extant apud Marcum 12. versu 29. atque
sumpta sunt ex Deuteronom. 6. versu 4. 4. v. 1, 5. v. 1.
Denique variis in locis. Sed videtur esse addita,
quod fieri vetat Deus Deuteronom. 4. Resp.
Siue mens siue verba Legis spectentur, nō sunt
addita. Nam expressè ea verba habet Moses iis-
dem syllabis, imprimisque cap. 5. Deuteronom.
etsi interponit quædam quæ ad beneficij acce-
q. iij.

pti & Legis commendationem pertinent, quæ breuitatis causa prætermisit Christus. Præterea Dei mens est in hac præfatione, vt ad Legis auditionē attentos nos reddat. Exodi 19. atq; id significant hæc verba, Audi. Attentionem enim requirit ab auditore hæc vox, Isaia 1. v. 1. & Psal. 81. versu 9. Prima verò verba sunt præfatio, quia neque vetant, neque iubent quicquam, quod ad fines rerum agendarum pertineat: & ipsa oratio satis id docet.

Sed quæsitū est, Cur præfari Dominus quædā ad suam Legē voluerit? Resp. Tum vt auctoritatem Legi suæ, tum etiam vt amorem & reuerentiam conciliaret. Etsi enim Dei Spiritus non agit nobiscum *πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις*. I. Corinth. 2. versu 4. neque nos prædatur per eloquentiam: tamen se ad nostrum captum & ingenium attemperat, & carnis nostræ stuporem excitat optima ratione, & illi conuenientissima. Itaque & Charondas & Zaleucus antequam leges scriberent, præfati sunt de Legis laude, de Dei providentia, vt ait Tullius libr. 2. De legibus: & earum præfationes sanè pulcherrimas descripsit, atque mandauit memoriæ Io. Stobæus in libro Sententiarum *λόγῳ* seu sermone 42. *τοῦς βελδομίαντις καὶ παρὰ τὸν τίς π, ἀπὸ θεῶν ἀρχεῶς χρῆ*, inquit Charondas Catanæus. *τὸ γὰρ αἰεῖον*. Quos etiā Plato in libro De legibus imitatus est. Est enim Legis & legislatoris aliquid persuadere, non omnia vī ac minis cogere. Et, inquit Tertullianus in cap. 4. Apol. Iniusta lex est quæ se probari nō patitur. & Pōmpon. in legē Romanorū præfatus est in l. 2. D. de origine iuris.

Cur re-

Cur reliqua omiffa fint quæ ad commenda-
tionem Legis faciebant, veluti quo ritu, quæve
omnium elementorum agitatione & trepida-
tione data fit, & pronuntiata hæc Lex, vt est E-
xodi 19. & Pfalmo 114. & Hebr. 12. verf. 18. & 26.
Agg. 1. verf. 7. Ratio eft, quòd in epitome ifta
dici non erat neceffe.

Facit autem auditores attētos, dociles, ac be-
neuolos hac fua præfatione Deus. Ac quidem

attentos { Vox Audi, & exhortatio,
Maieftas Dei loquentis, Ego
Iehouah.

Dociles verò { Breuitas fermonis,
Ordo diftinctiõque præ-
ceptorum.

Beneuolos { Beneficium adoptionis,
denique { Deustus,
facit. { Beneficium recens liberationis,

Qui te eduxi è terra Ægypti, è domo feruitutis,
& ferrea Exodi 13. verf. 3. Deut. 4. v. 20. In quo
ipfo *συνεκδοχικῶς* manus illa Dei extenfa, & sub-
uerfio Pharaonis, & trepidationis populi com-
memoratio, & illa quæ tunc extiterunt. Deuter.
4. verf. 34. miracula comprehenduntur, quæ va-
riis in locis Moles, & alij Prophetæ referunt &
feribunt. quod etiam ipfum exteris gentibus no-
tum fuit, vt Cornelio Tacito in Annalib. vbi
de Vefpafiano agit: & Iuftino hiftorico, libro
xxxvi. Epitomes, & in hiftoria Iudith ab A-
chior Ammonita recitatur. Quod eos in defertũ
deduxit, vt Legem illic daret, videtur factum, vt
ipfa loci facies, vbi omni humana ope deftituti
erant, ad parendum eos magis incitaret.

q. iiii.

Ergo Iehouæ vox ad diuinum illud imperiũ refertur, quod creationis prouidentia que suæ iure Dominus in omnia obtinet, tum cælestia, tum terrena. Ex eo enim appellatur quod ipse est, & omnia quæ sunt facit esse, & subsistere, vitamque & victum administrat. Psalm. 104. Nō obstat quod dicitur Exodi 6. versu 1. Solis Iudæis manifestatum hoc nomen. Resp. Verum quidem antea vim promissionis non patefacta patribus, qualem tunc Iudæis implebat Dominus. Et est illud dictum secundum Quid. Neque tamen propterea negatur vocis huius significationem ad vniuersale illud Dei regnum in omnia referri & pertinere. Psal. 105. v. 7. Deut. 10. v. 17. Act. 17.

Deus tuus, Adoptionis iã suæ meminit Deus, vt magis apud eos præfertim, suam Legem commendet. Nouerant autē quis ille Deus esset, qui ad eos loquebatur, quis Deus Abrahã, Isaac, & Iacob. Exodi 3. Cuius adoptionis specialior fructus explicatur Psalmo 147. v. 12. & seq. Psalmo 87. Nam Iudeorum est adoptio, & testamentũ, & promissio. Rom. 3. v. 3, 9. v. 4.

Deniq; ad ipsius adoptionis, oculare recensque omnino testimonium descendit, *Qui te duxi*, & c. Hæc fuit ferrea fornax quæ appellatur, Deuter. 4. versu 20. Seruorum vox ad Israelitas refertur, non ad Ægyptios. Nam etsi imposita est cõditio seruiendi Chamo, à quo postea ortus est Misraim & Ægyptij, Genes. 9. v. 26. 10. versu 6. tamen tunc non seruibant Iudæis Ægyptij, sed contrã. Exodi 1. & 2. & Psalmo 81. Ergo ne seruitus hæc metum iis incutiat, sed filiali reuerentia

rentia ab iis obsequium impetret, commemorat & beneficium & adoptionem de iis suam Deus.

Obstat, Nemo pius est qui pietatem cauet, Tullius libro 2. De finibus, nec qui spe præmij Deum timet. Resp. Non in solo præmio hæere nos vult Deus, & ea ratione se colit: sed tantum excitat torpentes somniculososque homines tanti beneficij recordatione.

Hoc ad nos pertinet ἀλλήθρεικός. Ægyptus est idololatria. Pharaos, est Satan: seruitus, nostra animi subiectio. Rom. 6. Ephes. 6. Nostra liberatio ab ea, est redemptio quæ beneficio Christi contigit animabus nostris, & per eius resurrectionem corporibus. Jerem. 16. v. 14. 15. videtur obstare, sed est facilis solutio.



CAP. V.

Generalia quædam præcepta, ad futuram
Legis interpretationem
necessaria.

ANTE QVAM vltius pergamus, & ad explicationem præceptorum Legis veniamus, pauca de interpretatione huius Legis dicamus, & quæ in ea regulæ statuendæ. Omnino verò sunt quatuor.

I. Hæc Lex omni populo data est, quia qui eam promulgat, omnium gentium Deus est. Ro-